



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Chronologia Christiana

Herbipoli, 1694

Sæculum XVI. Ab Anno 1500. ad 1600.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-65495](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-65495)



SÆCULUM XVI

AB ANNO 1500. ad 1600.

§. I. *Romani Pontifices.*

CCXIX. **P**IUS III. Sienensis. antea Franc: Tudeschinus familię Picolomineorum, nepos *Pij II.* elect. A. 1503. eloquentiã, pietate morum, & vitæ integritate fuit omnibus amori & admirationi, obiit die regiminis 26 A. 1503. PROPHE: MALACH: *De Parvo homine:* fuit enim de familia *Picolominea*, *Picolo* Italicè latinis est parvus, parvo etiam tempore sedit.

CCXX. JULIUS II. Savonensis elect. A. 1503. dictus antè *Julianus Roverens* sive *Roboreus*, Triplici victoriã insignis, Borgiam inimicissimum suum (ob cujus metum decennio, se in Gallia adhuc Cardin. abdiderat) captivum à se factum & multipliciter reum mortis, vitã & libertate donavit.

2. Ve.

2. Venetis occupata restituit. 3. Cardinales in Pisano Pseudo. Concilio congregatos à proposito avertit & ad Concilium Lateranense legitimum induxit. Obiit A. 1513. die 21. Febr. MALACH: PROPH: *Jovis fructus juvabit.* Ejus insignia *quercus*, quæ *Jovi* antiquitus Sacra arbor. alludit etiam ad nomen *Roborens.* juvit, quia dictus est liberator Italiæ, ob expulsos Gallos.

CCXXI. LEO X. Florentinus *Joan. Medices* dictus, è Ducum Florent: familia elect. A. 1513. Ob incomparabilem ingenii & virtutis præstantiam adhuc juvenis purpurâ donatus. Laudum ejus epitomen S. P. Q. R. Columnæ marmoreæ illius honori erectæ inscripsere; OPTIMO PRINCIPI LEONI X. PONTIFICI MAXIMO, OB RESTITUTAM, INSTAURATAMQUE URBEM, AUCTA SACRA, BONASQUE ARTES, VECTIGAL SUBLATUM, ADSCITOS PATRES, DATUM CONGIARIUM S. P. Q. R. & de hoc LEONE *Lutherus* (quanquam jam errores suos à Pontifice damnatos audivisset)

In

In parte II. operum Latin. ab Initio s̄t̄im. editione Wittenbergenſi A. 1546. typis Joan: Luſſt. Interim tu Leo, ſicut agnus in medio luporum Sedes, ſicut Daniel in medio Leonum, & cum Ezechiele inter Scorpiones habitas, hæc affectione dolui ſemper Optime Leo, his te Sæculis Pontificem factum, qui melioribus dignus eras. O Crocodilum lacrymantem! hæc Laus ex ore inimici, (quanquam etiam adulatoris) Leoni tamen debetur. Obiit A. 1521. in Decemb. PROPH: MALACH: de Craticulâ Politiani: filius fuit Laurentij Medicei & Angeli Politiani olim diſcipulus, craticula autem ſignificat Laurentium.

CCXXII. ADRIANUS VI. Ultrajectinus Elect: An. 1522. Verè exemplar optimi cujuſque Eccleſiæ Paſtoris, natus textore, ſola virtute ad apicem ſummi honoris aſcendit, Lovanii fretus ſtipendio cum incredibile vita integritate, & continentia, inquit Panvin: ita ſe ſcientiis excoluit, ut univerſitatis illius Profeſſor, Decanus, ac Vice-Cancellarius conſtitueretur. Inde à
Maxi:

Maximiliano Imperat. nepoti suo, postea Imp. *Carolo V.* Instructor datus. à *Ferdinando* Hispaniarum Monarchâ Episcopus Dertusanus in Hispania: à *Leone X* Cardin: à *Carolo V.* per Regnum Hispaniæ Vice-Regiâ potestate *locumtenens*: demum à Cardinalibus, quamvis absens, *Christi* in terris *Vicarius* elect: in quo munere gloriosam posteritati famam reliquit. Summo conatu Principes Christianos ad pacem inter se, & arma contra Turcas jungenda hortabatur. *Ludovico* Regi per *Cardinalem Caietanũ* 50000. Ducatos in Hungariam, licet ipse inopiâ pressus, transmisit. Beneficia, & Prælaturas sine affectu Sanguinis absque omni sensu nepotismi conferebat, illud in ore versans: *Nolo Sion edificare in Sanguinibus.* Obiit A. 1523. die 24. Sept. Sepulchro hæc incisa Epigraphæ est: *Hadrianus VI. hic situs est, qui nihil infelicius in vita, quàm quòd imperaret, duxit.* PROPHE: MALACH: *Leo Florentinus* Nomen Patris ejus, textoris officio, *Florentinus.* *Leonem* assumpsit
Pro

Pro insigni ante papatum alludens ad
Leonem Belgicum & Officium VICE-
REGIS HISPANIÆ quod gessit.

CCXXIII. CLEMENS VII. Flo-
rentinus, è Mediceorum Familia, elect.
A. 1523. adversus Lutherum & a seclis
pro Ovili Commisso impiger, & OP-
TIMUS PASTOR. Adversus Angliæ Re-
gem *Henricum VIII.* JOANNES BAPTI-
STA, in connubio incestuoso redar-
guendo, dispar *Joanni* in eo, quod huic
caput absciderit *Herodes*. *Clemens*, au-
tem *Henricum*, qui se CAPUT ECCLE-
SIÆ novo portento edixerat, anathe-
matis ictu separaverit à corpore Eccle-
siæ. In captivitate suâ, quâ in scio Im-
peratore *Carolo V.* detentus fuit à Cæ-
sariano milite urbis expilatore Duce
Borbonio verè PETRUS fuit IN VINCU-
LIS: cum summo honore libertati re-
stitutus obiit A. 1534. d. 25. Sept. PRO-
PHET: MALACH: *Flos pile nigra*. Medi-
cæorum insignia sunt sex in aureo Scu-
to *Pila*, quarum suprema est coloris
fusci, tribus *aureis liliis* coronata.

CCXXIV. PAULLUS III. Roma-
nus

nus ex Farnesiorum Principum familia, dictus *Alexander Farnesius*: Unanimi Cardinalium conspiratione elect: A. 1524. ad, exterminanda Schismata, & hæreses. Concilium generale Mantuæ primò, mox Vicetiæ, demum Tridenti indixit *Onuph.* A. 1537. Societatem Jesu ab *Ignatio de Loyola* institutam confirmavit A. 1540. Magnifica multa pro Ecclesia peregit, pacis etiam studiosissimus inter Principes Christianos instituendæ, quam saltem Italiæ obtinuit. Nepotibus tamen quia additus fuit, præbuit ansam Calumniæ, sed odio majori, quàm veritati subnixæ. Obiit A. 1549. d. 10. Nov. **PROPH:** **MALACH:** *Hyacinthus Medico*, lilia pro Symbolo habuit, & titulum gessit Cardinalis SS. *Comæ & Damiani* qui Medici fuerunt. Hyacinthus autem secundum ethymon idem est ac flos pluvias amans, cujusmodi etiam lilia sunt.

CCXXV. JULIUS III. Italus ex monte Sabino. Elect. A. 1550. de hoc Panvin. *fuit Iulius mirificus justitia & aequitatis cultor. Vir Apostolici fervoris.*
An-

Angliam, Scotiam & Irlandiam per legatos suos, Imperante *Maria* Regina Ecclesiæ restituit. Concilium Tridentinum maximis curis, laboribus & sumptibus restauravit. *S. Franciscum Xaverium* in Indiam ablegavit, *Simon Sulacka* Majoris Armeniæ Patriarcha (cujus jurisdictio Euphratem & Indum tenebat) sub *Iulio* Ecclesiæ Romanæ reconciliatus, Romæ consecratus, & approbatus, ad Armenos suos reversus. Hæc inter *Iulius* dum in mediâ contra Podagræ dolores depugnat, senio succumbens moritur A. 1555. d. 23. Mart. PROPH: MALACH: de *Corona Montana*, dictus fuit ante Pontificatum *Ioannes Maria de Monte*, & insignia illius: *Novem montes*, ac duæ ex lauro coronæ.

CCXXVI. MARCELLUS II. Italicus Toscanus in monte Politiano electus: A. 1555. sub *Iulio* Concilio Tridentino Pontificis loco præfedit. Plures *Marcellus* virtutes, quam dies in Pontificatu numeravit. Speculum Sanctitatis à *Panvin:* appellatur. Consilia
ejus

ejus pro Ecclesiæ utilitate ingenti animo concepta, mors initio Pontificatus die 22. extinxit An. 1555. d. 1. Maij. PROPH: MALACH: *Fruentum floccidum*: Insignia illius Cervus Cubans inter novem assurgentes aristas, verè floccidas, cum vix ortæ elangvuerint.

CCXXVII. PAULUS IV. Neapolitanus ex illustri Domo Carafæa Archiepiscop. Neapolit. Elect: A 1555. Pontifex Justitiæ & conceptæ semel sententiæ rigidè tenax: hæresum æq; ac scelerum hostis acerrimus, nec Consanguineorum delictis indulgens. Latinæ, Græcæ, Hebraicæ linguæ peritissimus. Cum *Cajetano* Theatinorum Ordinis fundator coexistit. generosâ & piâ morte occubuit A. 1559. die 17. August. à populo Romano tumultuosorum hominum instinctu post mortem probrosè tractatus, Statuâ dirutâ, fractisque insignibus, multisque contumeliis effreni licentiâ exercitis, idque ob bellum contra *Philippum II.* Hispan: perniciosè gestum. PROPH: MALACH: *de fide Petri*. Ante dictus Petrus,

O

trus,

trus, de *Carafe* fides exponitur Itali-
co more loquendi *lamia carafe* Latine
Mea amatâ, sive, charâ fide.

CCXXVIII. PIUS IV. Italus Fa-
milia Medicæus. Elect: A. 1559. quàm
Pius mitis, tam Rigidus & æquus fuit
vindex scelerum, quatuor sibi Con-
sanguineos scelerum convictos mor-
tis sententiæ subjecit, & capite plexos
in pegmate ferali, publico spectaculo
exposuit. Piissimus fuit, & liberalis-
simus in Pauperes, eruditione eximi-
us; ad quam promovendam quatuor
Collegia extruxit, & Romam pluri-
bus ædificiis ornavit. Concilio Tri-
dentino auspiciatum finem imposuit,
A. 1563. Vitam verò suam finiit An.
1565. d. 9. Decemb. PROPHE. MALACH.
Æsculapii Pharmacum. Dicitur erat
Angelus Medicus, Æsculapium seu
Principem Medicorum venerabatur
antiquitas. Pharmacum autem Græ-
cè idem ac ferens medelam.

CCXXIX. BEATUS PIUS V. Ord.
S. Dominici. Electus An. 1566. de
illo paucis ita *Gualterus*. Vix Sanctita-
te præ-

te præcellens, omnium acclamatione
 divinitus eligitur, cum nihil minus ip-
 sè cogitat, & nihil minus alii expe-
 ctant. Hunc ob Singularem virtutem
 reveriti sunt, etiam Hæretici, & Turca:
 quem non Christianorum duntaxat
 Principum, sed etiam Moschovitarum,
Prestejannis ac Sophi Persarum armis
 impugnandum curavit: quæ expedi-
 tio ex animi Sententia Successit in
 Prælio Lepantino. Tridentinum Con-
 cilium accuratè observari voluit, Con-
 cubinarios, Simoniacos, & Confiden-
 tiarios gravibus pænis addixit, Ener-
 gumenos in Publicâ Processione libe-
 ravit. Calculo dirè vexatus exclama-
 re Solitus: *Adauge Domine dolorem, sed
 da patientiam*, ob: 1572. PROPH: MA-
 LACH: *Angelus Nemorosus*. Dicitur erat
Michaël Ghisterius, Alterum exponit
 patria. Fuit enim *Boschensis* prope Al-
 exandriam apud Insubres, *Boscho* au-
 tem Italicum, apud Latinos est *Nemus*.

CCXXX. GREGORIUS XIII. Bo-
 noniensis Boncompagnus Familiâ: E-
 lect: 1572. Jurium peritissimus, prop-

ter eminentem charitatem dictus *Charitas incarnata, & liberalitas incorporata*. Hujus virtutis impulsa 22 Seminaria fundavit pro bene educanda juventute. In has & similes fundationes, tum pauperum sustentationes, expendit XXX. milliones. Turcis ac infidelibus æquè, ac Christianis maximæ æstimationis. Plurima pastore optimo digna perfecit & obiit A. 1585. die 10. Apr. PROPH: MALACH: *Medium corpus pilarum*: Insignia ejus medium corpus Draconis, & Cardinalis creatus est à *Pio IV.* gestante *Pilas* in scuto suo.

CCXXXI. SIXTUS V. ex Marchia Anconitana Ord. S. Franc. elect. A. 1585 parente natus agricolâ, solitus ipse dicere : *natus sum de casa illustri* id est multùm perforatâ & ruinosa, ab ineunte ætate educatus in Firminâ PP. Franciscanor: familia, dictus frater *Felix Peretti*. Scientiâ & virtute ascendit. Inter plurima memoratu dignissima, Nosocomium condidit in quo 200 homines commodè sustentantur censu aũuo addito 15,000 Ducat.

Ducatorum. Bononiam Seminario, patriam Episcopatu, ædem Lauretanam Augustissimo templo: Vaticanum elegantissimo Sacello ornavit. Præter alia multa magnifica & utilissima. Pro extremis autem Ecclesiæ necessitatibus, in Castro Angelorum 2000000. aureos reposuit. Cultor & exactor justitiæ fuit severus: Cujus rigore Italiam à Sicariis, aliisque magnis sceleribus repurgavit. Obiit an. 1590. die 27 Aug: **PROPH: MALACH: Axis in medietate Signi: Insignia ejus axis in medio leonis, unguibus Stellam tenentis.**

CCXXXII. URBANUS VII. ex *Castagne à domo* elect. A. 1590. fuit in utroque jure apprimè versatus. Sedit tantum 12 dies, & obiit. **PROPH: MALACH: De rore Cæli:** Fuit enim Archi-Episc. *Rossanensis* in Calabria: præterquam, quòd prima Syllaba exprimat vaticinium, etiam per illud ænigma exponitur, quòd ros ibidem cælo delapsus coalescat in maña medicinale.

CCXXXIII. GREGORIUS XIV. *Mediol:* ex *Sfrondrata* à familiâ elect:

1590. Sedit non nisi 10. menses, quibus omnes numeros optimi Pontificis absolvit. Comitem *Sfrondratum* ex sorore nepotem, cum exercitu misit in Galliam, pro conservandâ in regno illo fide Catholicâ. De Concilio etiam Tridentino optimè meritus, & in omnibus Ecclesiæ honoribus, vitæ semper inculpatae: Obiit calculi doloribus, è cuius visceribus post mortem unus extractus est. 2. unciarum pondus excedens. An. 1591. PROPH. MALACH: *Ex antiquitate Urbis: Mediolanensis fuit, quæ urbs supra 2000. annos stetit.*

CCXXXIV INNOCENTIUS IX. Bonon. elect: an. 1591. Summæ prudentiæ ac virtutis fuit, quem rebus humanis alter ab electione mensis December exemit. A. 1591. PROPH: MALACH: *Pia Civitas in bello.* Videtur alludere ad Bononiam. quæ plurimum profuit *Carolo V.* in bello quod gessit in Italia.

CCXXXV. CLEMENS VIII. Florentinus, antè *Hyppolitus Aldobrandinus* elect:

elect: A. 1592. præter innumera virtutum Specimina, ipse in Jubilæo magno A. 1600. aures confitentibus dedit sæpè quaternas continuas horas. Ipse pauperibus aquam affudit & abluit, eisdemque ad mensam ministravit, & tum verbo tum exemplo ad similia alios Ecclesiæ prælatos excitavit; in sumptibus pro peregrinis sustentandis verè magnificæ Charitatis. Obiit An. 1605. d. 3. Mart: PROPH: MALACH: *Cruce Remulea*. Scuto illius inserta est trabs argentea, tribus segmentis distincta, in formâ *Cruce Pontificia*.

§ 2. *Imperatores.*

XXXI. **C**AROLUS V. Austriacus
 natus Gandavi An. 1500.
Maximiliani Nepos ex Patre *Philippo*
 & Matre *Joanna* filia *Ferdinandi* Hisp:
 Regis. In Juventute præceptorem ha-
 buit *Adrianum*, postea *Magistrum mun-*
di. Pontificem Maximum, defuncto *Fer-*
dinando A. 1516 Regis Hispani titu-
 lum usurpare cæpit: Imperator elect:
 A. 1519, præ æmulo Gallix Rege. In-

ter innumera spolia, quæ illi fortuna & virtus obtulerunt, nobilissimum spolium fuit *Franciscus I.* Gallix Rex, quem fors belli captivum *Carolo* dedit A. 1525. Ostendit tunc quòd esset optimus Imperator, qui nosset fortunâ uti, & sibi præ omnibus imperare, captam Majestatem liberaliter dimittendo. Bis in Africam, toties Angliam, quater in Galliam, sexies in Hispaniam, novies in Germaniam, decies in Belgium movit, & ubique virtutis & roboris sui triumphos circumtulit. Sex decies remenso mari mendaci se credidit elemento. Ubique religionem *Carolus*, & *Carolus* fædere mutuo servavit religio. In sola America decem & octo Reges per suos duces subegit. Duobus Imperatoribus Mexicano & Peruano & Turcico Imperio decies, & Romano vicies reportatis v. & toris major fuit. Tunc autem *Maximus* quando Cælo propinquior mundo valedixit, & in solitudinem *S. Hieronymi* secessit A. 1557. in quâ obiit An. 1558. Cælo, simul cum terrâ, accenso

censo Cometâ *Soli occumbenti* parentante. Regna paterna & hæreditaria cefferunt *Philippo II.* Hispan: Regnum filio *Caroli*, fratri autem *Ferdinando I.* Imperium. SYMB: *Plus ultra.*

XXXII. FERDINANDUS I. Austriacus, cognomento *Pius*, suscepit Imperium A. 1558 Victorias fratris sui *Caroli V.* usurpare maluit quàm augere, pacem accommodans usui, & Martem necessitati, quo Turcas ex Pannonia profligavit & gloriosus obiit An. 1576. Regnavit post *Carolum* fratrem sex annis. SYMB: *Fiat justitia, ne pereat mundus* & illud: *Accidit in puncto quod non contingit in anno.*

XXXIII. MAXIMILIANUS II. natus Viennæ Austriæ An. 1527. Cal. Aug: Patre *Ferdinando I.* Imperat: & Matre *Maria* filia *Ladislai* Hungar. ac Bohem: Reg: Uxorem habuit *Mariam* patru sui *Caroli V.* filiam, hoc est Patruelem, ex quâ suscepit casto & fecundo conjugio XV. filios: tot scilicet, quot astra numerant astrologi in cælo Austriaco. In uno anno tres co-

ronas consecutus est Imperij: Hungar
& Bohem: ad quartam etiam invita-
runt Poloni, sed maluit desiderari,
quàm venire & acceptare. Pacem quã-
vis summè coleret, debuit tamen bel-
lo quærere & recuperare contra *Ioan-
nem Vaiuvodam & Solymannum*, quos ducto
exercitu repressit. Octo linguarum fuit,
& quascunq̃ loqueretur Germano
eandem omnes imbuat, nunquam bi-
linguis. Obiit in Comitibus A. 1576. die
12. Octob: ætatis 49. SYMB: *Dominus
providebit.*

XXXIV. RUDOLPHUS II. Au-
striac: natus A. 1552 die 18. Julii. Vi-
ennæ Patre *Maximiliano II.* & *Ma-
ria* filia *Caroli*. Rex Hung. Coronatus
Presburgi An. 1572. & An. 1573. Rex
Bohem. & Imp. Francofor. Vivente
adhuc Patre. Periculosos inter turbi-
nes Perfidia Belgicæ, & Germanæ
hæresis, semper prudentissimè secun-
dâ aurâ velificavit *Rudolphus Secundus*,
sive pro Ecclesia, sive pro Regno, & Im-
perio, Martem gereret. Turcam toti-
us Orientis viribus collectis Sisacum
ob-

obsidentem ita exterruit, ut de 60000.
 Turcarum Cæsis, non nisi 50. suorum
 militum jacturâ triumpharet. Hâc vi-
 ctoriâ Agriam, Budam, Albam, Strigo-
 nium Jaurinum & alia loca munita re-
 cuperavit, & Turcicum *Ibrahimum* fu-
 dit, Constantinopoli Contremiscente.
 Moritur die 10. Jan. An. 1612. SYMB:
Omnia ex voluntate Dei.

S. 3. Concilia.

Pisanum Oecum. Reprob. 1511. *
 Lateranense Oecum: sub *Julio II* &
Leone X. 1511. usque ad annum 1518. *
 Senonense Provinc. 1528. * Coloni-
 ense triplex 1528. * 1549. * & iterum
 1549. * Tridentinum Oecum: sub *Pau-
 lo III. Julio III. Pio IV.* Inchoatum an.
 1545. finitum An. 1563. Congregati
 in illo PP. ex orbe Christiano 255.
 quos inter 6. Card: 3. Patriarchæ. 24.
 Archiepisc. 168. Episc. Absentium E-
 pisc. Plenipotentarii 3. & Procurato-
 res 39. Abbates 7. Generales Ordinum
 7. Præter alios plurimos Doctores
 Theologos. * Augustanum Concilium
 1548.

1548. * Trevirense eodem anno * Mo-
guntinum 1549. * Mediolanensia sex
sub *Carolo Borromeo* Card: & Archi-
Episc. 1565. * 1569. * 1573. * 1576.
1579. * 1582. Aquileiense 1596.

S. 4. Schismata.

H *Enricus VIII. Catharinam* Conju-
gem Materteram *Cæsaris Caroli*,
cum quâ 30 penè annis, susceptâ eti-
am prole, vixerat, suasu *Volses* a toro &
regno removet, & *Annam Bolenam* du-
cit, eâ matre natam, quâ concubinâ ip-
sum usum fuisse neminem latebat. *Cle-
mente VII.* post amicas dehortationes,
fulmen tandem excommunicationis
vibrante, libidinis æstu pertinaciter
furens *Henricus*, suo ab Ecclesiâ Schis-
mate, Regnum Anglicanum involvit,
quod nunc hæresi conclusum est.

S. 5. Propagationes Fidei.

I *Ndia Orientalis & Occidentalis per*
Variorum Ordinum Regulares 1501.
* *S. Xaverius* A. 1540. Missus in Indi-
am, & inde in Japoniam, illi vastissi-
mæ Insulæ, & sex aliis Regnis, Christi
fidem

fidem invexit, decies centena & amplius millia convertit, & Reges ac reginas 12. baptizavit. * Monomotapa à *Consalvo Sylveria S. J.* ibidem Martyrio affecto. * Mauritania à *Petro Mascarenna S. J.* * Brasilia à *Josepho Anchieta S. J.* * Malabaria, Paraquaria, Morilandia, Peru, Amboinum, Philippinæ, Tucumania, aliæque regiones & regna, à diversis, tum Societatis, tum aliorum Ordinum, Apostolicis viris Evangelij luce illustrantur, & multo etiam sanguine pro Christo profuso fæcundantur. * Solennis Legatio Japonensium Principum, qui se nomine illorum regnorum sedi Apostolicæ submiserunt, facta est sedente *Gregorio XIII. A. 1585.* * *David Imper.* Æthiopiæ missis ad *Clementem VII.* legatis obedientiâ promittit *A. 1524.* * itaque quod defecit ab Ecclesiâ per hæreses in Europâ, id multò majoribus incrementis, multarum gentium accessione compensatum est.

§ 6. Persecutiones Fidei.

IN India Orientali & Occidentali obierunt
 pro

pro Christi fide plurimi præsertim ex Dominicanis, Franciscanis, & Societate Jesu. * In Anglia diversis temporibus sævitum est in Catholicos. * Victimam illustrem pro justitia, & Ecclesia ibi cecidit *Thomas Morus, Præsul Reffensis*, ab *Henrico* (cujus insanis amoribus consentire noluerunt) interfecti. * Occisi ab *Elisabetha* filiâ *Eduardi* Regis, & *Reginâ* Angliæ, *Campionus, Brianus, Paynus*, quia monstrosam Ecclesiæ caput, foeminam agnoscere non voluerunt. * *Maria Stuarta* Scotiæ Regina, & Angliæ (de jure) ab eadem *Elisabetha* Cognatâ suâ, post 20. annorum carcerem, capite plexa non aliud ob crimen, quàm quòd mulier de Orthodoxâ libertate cogitasset. A. 1587. * Huc pertinet ferox facinus, quod in scio *Carolo V.* Imper: ausi sunt Duces Cæsarei *Luthero* addicti *Borbonius* & *Fronsbergius*: qui die 6. Maij A. 1527. Romam ceperunt, (*Borbonio* in ipso assultu occiso & pœnas dante in initio sceleris) & captam urbem occisis 10 millibus diversæ conditionis & sexûs

sexus, susque deque mixtis Sacris & profanis expilaverunt, *Clementem VII.* custodiã trimestri concluderunt; donec modum posuit huic phrenesi fœvissima lues, ex effusâ libidine, ac insepultis cadaveribus orta, quæ brevi tempore 12. millia harum tigridum absumsit. Sed & *Clemens* Papa astu quodam *Pompeii Columna* è custodia eductus est, aliàs, ab adventante Gallico exercitu, qui Italiæ jam se infuderat, liberandus.

S. 7. Sanctitate Clari.

S. *Ignatius de Loyola* Fund: Societ: Iesu 1540. S. *Franc. Borgia* Dux Gaudia & General. III. Societ. Iesu, 1572. S. *Carolus Borromæus* Card. & Archiepisc. Mediol: 1580. S. *Theresia* fundatrix Carmelit: ex-calcat: 1582. S. *Philippus Neri* fundator Oratorij Ordin. 1590. S. *Petrus de Alcantarâ* Ord S. Franc. S. *Cajetan*: Fundat: Theatinorum. S. *Ludovicus Bertrandus*, Ord. S. Domin: S. *Maria Magdalena de Pazzis* Virgo Carmel.

S. 8. He-

§. 8. *Hæretici.*

Lutherus. Petrus Martyr. Anabaptistæ. David Georgius. Carolstadius. Oecolampadius. Libertini. Zwinglius. Joan. Brentzius. Melanchton. Bucerus. Calvinus. Ubiquetarij. Beza. Puritani. Sabbatharii. Infernales. Invisibiles. &c.

§. 9. *Initia Religiosor. Ordin*

Theatini 1524. Capuccini 1525.
Clerici Regulares *S. Pauli* 1533.
 Societas Jesu 1534. Confirmata 1540
Congreg: Ord: Oratorii *S. Nery* 1564.
 Somachenfis Religio approbata An.
 1568. Militia *S. Lazari* renovata 1565.
 Militia *S. Stephani* Papæ 1562 Equites
S. Spiritus 1580. Carm: Excalc: A. 1580.

§. 10. *Initia Regn. & Princ.*

Ismael Sophi Perside potitur 1501.
Selymus Ægypto 1509. Castellanus
 Navarrâ 1513. Mexico per *Cortesium*
 1525. Lusitaniâ 1580. Mantua fit Du-
 catus 1530. Florentini impositum Du-
 cem subeunt. 1536. Itē Senenses 1555.
 Hungaria & Bohemia transeunt ad
 Austriacos 1526. Arabia felix à *Soly-*
manno occupatur 1542. & Cyprus 1570
 Reg-

Regna Marochii & Feltæ per *Abde-
melech* 1575. Deficiunt Batavi 1572.

S. II. *Instit. Sacror. Rituum.*

HÆreditarius *Catholici* Regis titu-
lus *Ferdinando* Hispano restitu-
tus à *Julio II.* * Congregatio B. M. Vir-
ginis in Oratoriis Societatis Jesu à *P.*
Joanne Leonis Romæ instituta A. 1560.

* *Gregorius XIII.* Calendarium detra-
ctis è mense Octob: An. 1582 decem
diebus, translatoq; æquinoctio verno
ab undecimo die Martij ad vicesimum
primum ejusdem mensis diem, refor-
mat, unde & nomen habet *Calendari-
um Gregorianum.* Et perpetuum est. *
Festum *S. Mariae de Victoria* sive Ro-
sarii à *Pio V.* A. 1571. * Triduana 40
horarum Oratio ineunte quadragesi-
ma inducta à PP. Societatis Jesu in Ita-
liâ contra Scenas Bacchanales.

S. 12. *Nova Reperta & Na-
tales Urbium.*

Navigatio orbem immensum cir-
cumdans primùm facta navi *Vi-
ctoriâ*, cui præfuerat *Ferdinandus Ma-
gella-*

gellanus, A. 1579. * Aurichalcum factitium excogitatur * Aquæ etiam fortes æris ab auro & argento Secretioni inservientes. * Conditur Anneburgû 1501. * Palma civitas à Venetis 1593. * Carolopolis à Carolo Duce Nivernensi.

§. 13. Script. Sacri & Theol.

Ximenes Card. Petrus Canisius. Maldonatus. Toletus Cardinal. Genebrardus Episc. Ludovicus Granateris. Andreas Vega. Tuelmannus. Edmondus Augerius. Iansenius Episc. Guilhelmus Alanus Card. Franc. Turrianus. Cornelius Ribera. Alphonsus Salmeron. Lippomanus Card. Laur. Surius. Etkius Thomas Morus. Sadolctus Card. Thomas de Vio. Ioan. Medina. Alphons. à Castro. Dominicus Sotus. Melchior Canus. Anton. Cordubens. Alphonsus Deza. His accedunt è Societate Iesu plurimi, quorum nomina copia supprime.

§. 14. Aliar. Discipl. Periti.

Iur. Jason Maynus. Andr. Tiraquellus. Martinus Navarrus. Jacobus Cujacius. Carolus Molinaus Rebuffus. Didacus Covar-

varruvias. Andr. Alciatus. *Med. & Philos.*
 Joannes Fernelius. Julius Cæsar Scaliger.
 Hieronymus Fracastorius. Hieronymus Car-
 danus. Joan. Argenterius. Jacob. Carpen-
 tarius. *Math.* Orontius. Finæus. Abraham
 Ortelius. Franc. Viera. Gerardus Merca-
 tor Tycho Brahe. *Philol.* Beroaldus Pieri-
 us Turnebus. Cælius Rhodiginus. *Hist.* Jo-
 an. Aventinus. Franc. Guicciardini. Caro-
 lus Sigonius. Paulus Jovius. Conrad. Ges-
 nerus. *Pæet.* Hieronymus Vida. Fuerunt
 præter hos plures alii, qui hoc Sæculum
 Musis exornârunt.

S. 15. *Strategi & Prælia.*

Christianis inter se de Religione conten-
 dentibus, Turca occupat Ægyptum
 1517. * Belgradum 1521. * Rhodum 1522. * ex
 Hungariâ captivos abducit 300. millia, &
Ludovicus REX Hung: cæsis 26. millibus fu-
 giens in Tarasso torrente, ex equo lapsu
 resupino, demergitur 1526. * *Solimannus*
 obsidet Viennam cum 200. millibus die 22.
 Sept. *Philippo Palatino* cum Præsidio 15000.
 Propugnante: sed adventu *Ferdinandi* ter-
 riti Turcæ obsidionem solvunt suorum 26.
 millibus amissis. An. 1529. * Turca occupat
 Moream 1533. * Taurisium 1535. * Esseekum
 1537. * Strigonium 1553. * Tripolitana Chri-
 stianorum Classis contra Turcam amissis 40
 navibus & 10. millibus Christian: sub *Auria*

Me-

& *Medina cœli* miserè vastatur 1560. * *Melita* contra *Mustapham* fortiter defenditur ab *Equitibus S. Joan.* & Servatur 1565. * *Sigetium* à *Zerino* defensum expugnatur à *Solymano* 1566. * *Cyprus* eripitur *Venetis* à *Turcâ* 1570, & 1571. * *Ægrè* tandem labore *Pij V.* *Christiani Principes* conciliati societatem ineunt navalis belli contra *Turcam*, & in sinu *Lepantino* ad *Naupactum* An. 1571 Duce *Joanne Austriaco* *Victoriam* obtinent. *Bassâ* cum 25. millibus *Turcarum* Peremptis: navibus 180. captis, 20. concrematis, totidem *Submersis*, *Christianorum* 20000. redemptis. Quâ *Victoriâ* si usi fuissent *Christiani*, *Constantinopolim* recuperassent, *ipsis Turcis* id fatentibus, sed anno 1572. *Venetis* cum *Turca* pacem ineuntibus, ille restaurat vires, & *Tunetum* recipit A. 1574. * Et in *Hungaria* roboratâ audaciâ grassatur.

Moscus 600. *Tartarorum* millia uno prælio ad *internecionem* delet. An. 1560. * *Ulciscuntur* *Stragem* suam *Tartari* & *Moscâ* urbem capiunt, & exurunt 100 millibus *trucidatis*, 100 millia abducunt *ingenti* cum prædâ A. 1571. * *Rustici* Duce *Müntzero* apostatâ *Sacerdote* *crudeli phrenesi* *bachantur* in *Germaniâ*: in sola *Franconiâ* 200. *Monasteriis* & *arcibus* *ferro* & *igne* vastatis. *Cæduntur* tandem à *confæderatis* *Principibus* supra 150, millia *rusticorum*.

Franco

Franciscus Rex Galliae in pugna Ticinensi post acerrimam defensionem, capitur à *Vastio Duce*, & Madritum deductus regiè à *Didaco Mendoza* excipitur, luctuosum de Gallia Trophæum A. 1525.*

Hugonotti rebelles tumultuantur in Gallia & sæviunt in Catholicos tam immaniter, ut historici testentur 100. millia Catholicorum præter 5000. Sacerdotes variis generibus crudelitatis occubuisse. Monasteria 2000. templa 20000. diruta, Anno 1567.* Fregit furorem, pugna Dionysiana & Duce *Annao Mommorantio* obtenta victoria An. 1567 * die 11. Nov.*

Strategi hoc Sæculo famosiores fuerant *Guastionius à Fuxo*, *Ludovicus Gonzaga*. *Rodomontius*. *Petrus de Terrail*. *Bajardus*. *Annæus Mommorantius*. *Albuquerqueus* dictus *Alexander Magnus* in domandis Indiis. *Villierius Rhodius*. CAROLUS V. FRANCISCUS I. *Valesius* Rex Galliae, animi magnitudine & dotibus inter Principes hujus Sæculi fere summus, nisi æmula *Caroli Imperatoris* virtus & felicitas in fatorum bilance præponderasset.

§. 16. *Universit: & Schole.*

Wittenbergensis 1502. *Uratistaviensis* 1505. *Francofordiensis* in *Marchia Brandenburgica* 1506. *Complutensis* 1517. *Osimeusis* 1549.

Gan-

Gandienſis per S. *Franciſcum Borgiam*,
1549. Rhemenſis 1550. Conimbricenſis
1550. Dilingana 1552. Trevirenſis
& Eborenſis 1559. Tarraconenſis 1556
Duacena 1673. Herbipolenſis reſtitu-
ta per Julium Epiſc. Ducem Franco-
niæ 1582. Muſſipontana 1573. Cæſar-
Auguſtana 1583.

S. 17. *Res Memorabiles.*

Indulgentiæ plenariæ per orbem
promulgatæ in gratiam *expeditionis
Cruciata*, contra Turcam ſub *Leone X.*
cujus promulgationis munus ab *Al-
berto* Archiep. Mogunt: *Teizelio* Do-
minic. Commiſſum inflammavit *Mar-
tinum Lutherum* ut in Sacras indulgen-
tias debaccharetur: hæc cauſa eſt orta
tempeſtatis magnæ in Eccleſiâ Dei A.
1517. * In Comitibus Spiræ ad impug-
nandum Turcam, & pacem reducen-
dam Eccleſiæ, convocatis, ortum eſt
nomen PROTESTANTIUM: proteſtati
enim qui *Luthero* adhærebant ab illis
Comitiis ad Imperatorem appellârunt
A. 1528. * Confefſio Auguſtana fabri-
cata

cata à *Melanchtone Carolo V.* offertur
 Augustæ 1530. * Cuditur INTERIM
 & promulgatur A. 1547. * Propalan-
 tur CENTURIÆ MAGDENBURGENSES
Flacco Illyrico collectore 1560. * *Joan-
 nes Calvinus* Canonicus Noviodunen-
 sis producit novæ doctrinæ suæ Chi-
 mæram ex priscis hæresibus concep-
 tam 1556. * Lutherani in Gallia spre-
 to *Luthero* adhærent *Calvino* & incipi-
 unt appellari *Hugonotti* 1560. * & in
 Belgio *Gensij* 1567. * *Puritani* quasi *Cal-
 vino* & *Luthero* puriores se produnt in
 Angliâ 1565.

S. 18. *Signa* & *Even. Trag.*

CRuces Sanguineæ inextinguibi-
 les apparent in vestibus 1500. *
 Sequitur pestis & fames 1501. * *Christi-
 ernus* Rex Daniæ ab Ecclesia deficit, &
 ob crudelitatem suam tribus regnis
 spoliatus in caveâ clathratâ moritur
 A. 1522. * Pestis sævissima *Sudor An-
 glicus* appellatus non aliis remediis,
 quàm sudoriferis pellenda, spacio 24.
 horarum, quos affecit, peremit. * Co-
 meta

meta cum Cruce Sanguineâ 1560. * Locustæ ad 60. milliaria lata, & arborum fructus devastant in Polonia 1541. & altero anno in Italia, & Silesia. * Pluvia Sanguinea 1560. * Prope Nicæam in Liguria varij pagi absorpti hiatibus terræ, ne quidem vestigio relicto, ubi steterint 1565. * Duo cometæ Occidentem & Orientem versùs in Germaniâ visi 1577. * Mons Æthna igne ejecto ad duo milliaria omnia obtegit. 1579. * Cometa & pestis per omnem fere Europam, quæ solum Parisius 40000. sustulit. 1580. * Wihitzij in Croatia initio Decemb. multa Centena Anserum millia spissa in nebula advolant, & prope Unnam flumen confident, qui postea inito mutuo certamine, tot cadavera reliquerunt, ut per longum tempus servierint accolis in alimentum salubre. A. 1588. * Weichfeldorfij in Silesia puero cuidam septenni natus est dens aureus in ore.

SÆ-